

Zacharias Grape

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Zacharias Grapius SS.  
Theol. D. ... ad Exeqvias Matronæ ... Margarethæ Schönlowen/ Viri ... Dni.  
Christiani Knesebecken/ Senatoris ... Relictæ Viduæ ... a Moestissimis Liberis  
decenter paratas, Omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum Cives Academicæ ...  
invitat : [P.P. Rostochii Sub Sigillo Academiae ipso Exeqviarum die d. XVII.  
Februar. Ann. MDCCVII.]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1707]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774544694>


Druck Freier  Zugang



Grapius, Z.,  
in  
M. Schönlow,  
viduam Chr. Knesebeck.  
Rost. (1707.)

32.
















# PROGRAMMA

QVO

## RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

# ZACHARIAS GRAPIUS

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROFESS. PUBL. ORDIN. AD  
EDEM CATHEDRALEM D. JACOBI VERBI DIV. MINISTER,  
& FCTIS Theolog. h.t. DECANUS  
ad EXEQVIAS

*MATRONE NOBILISSIMÆ, OMNIQUE PIETATIS, ac  
VIRTUTUM SPLENDORE FULGIDISSIMÆ*

# MARGARETHÆ

*Schönlowen/*

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, & PRUDENTISSIMI*

# DNI. CHRISTIANI

*Gnesebecken/*

Senatoris, cum viveret, & Camerarii inclytæ hujus Reip:  
primarii longe meritissimi, jam beatæ memoriæ,

*RELICTÆ VIDUÆ*

*MOESTISSIMIS LIBERIS*

*decenter paratas,*

*Omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum Cives Academia  
quam humanissime invitat.*

ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.





Lane fingulare solatioq;

plenissimum effatum est, qvod de morte piorum legimus *Psal. CXVI. 15.* יקר בעיני יהוה המותה לחסידיו  
Minus germanice redditur in versione Judæo-germanicâ Jekuthielis. ווערדיג איז אין דיא אויגין גאטש דער שויט פון זייני פרום

würdig ist in die Augen Gottes der Todt von seine Frommen. Nitidius B. noster *Lutherus*: Der Todt seiner Heiligen ist wehrt gehalten für dem Herren. Vel à verbo ad verbum ita: *pretiosa in oculis Domini (est) mors (quæ) piis (obtingit) Quæ verba etsi in se quidem intellectu non adeo difficilia sint; nihilominus tamen in quibusdam datur nonnullorum dissensus. Admodum absurda & fabulosa est illa Judæorum detorsio, qvi ad unum ex iis verba hæc trahunt, qvi in paradisum, juxta fabulas suas, se contulerunt. Quemadmodum habetur in Midrasch Schir Hafschirim ap. Jos. de Voisin, ad Raym. Pug. fid. part. 2. c. 4. p. m. 338. ubi ita: הביאני המלך הררין המן הבינן ארבע נבנסו לפרס בן עזאי וכן זומא אלישע בן אבויה ה' עקיבא בן עזאי הציץ ונפגע ועליו נאמר רבש מצאת אכול דייך בן זומא הציץ ומת ועליו נאמר יקר בעיני ה' המותה וכולו לחסידיו* i. e. *Introduxit me Rex in penetralia sua &c. Hic tradunt. Quatuor contulerunt se in Paradisum: Ben-Asai & Benzoma Eliseus ben Abujah, & R. Akiba. Ben-Asai respexit & mente abreptus est. De eo dictum est (Prov. XXV, 16.) mel invenisti, comede moderate. Benzoma respexit, & mortuus est. De eo dictum est: (Ps. CXVI, 15.) Pretiosa in oculis.*



*oculis Domini mors sanctorum ejus* &c. Alii ex Judæis verba  
 quidem de morte aliorū quoque; sed violenta explicant.  
 Hoc B. Frischmutho in *Dissertat. Epistol. ad Carpzov. p. m. 8.*  
 intelligere videtur *Paraphraſtes Chaldaeus* quando reddi-  
 dit: מיתהא דמשתלחא *mors, quæ infertur.* Et R. Sa-  
 lomo ita: יקר היא בעיני יהוה הראני הבה שדבר קשה  
 Pretiosa est *וּכְבֵד הוּא בְעֵינָיו לְהַמִּיר אֶת חֲסִידָיו*  
*in oculis ejus, Dominus ostendit mihi rem duram, & diffi-*  
*cilem esse in oculis ejus, sanctos suos sinere interfici.* Ita  
 & ex Christianis Patribus sentire videntur *Origenes in*  
*Comment. in Matth. Part. 1. Comment. p. m. 416. D. Ambros.*  
*de fide resurrect. T. 3. Opp. p. m. 29. Gregor. Nyssen. in Orat.*  
*continent. laudes S. Mart. Theodori p. m. 314. & ex recen-*  
*tioribus Franciso. Vatabl. aliique, vid. & Pol. in Synops. in*  
*h. l. Sed melius illi, qui sentiunt cum S. Bernhardo, qui*  
*in Serm. ad milites templi Opp. p. m. 401. ita: Etsi beati qui*  
*in Domino moriuntur, num multo magis qui pro Domino mo-*  
*riuntur? Et quidem sive in lecto sive in bello quis mo-*  
*ritur, preciosa erit sine dubio in conspectu Domini mors*  
*sanctorum ejus. & cum B. nostro Luthero, qui in Concion.*  
*2. in funus Johann. Elect. Saxon. Tom. 1. Altenb. p. m.*  
*980. ita: Welche nun solche getauffte Christen sind/  
 die sein Wort lieb haben / und fest daran halten / und in  
 denselben sterben / Sott gebe / sie werden gehenckt / gerad-  
 brecht / verbrandt / ersaufft / oder an der Pestilenz / Zie-  
 ber / etc. umkommen / die schleuß nur in Christi  
 Todt / und Auferstehung / und sprich flugs den Text ü-  
 ber sie: Der Todt seiner Heiligen ist theur / und wehrt  
 für dem Herren. Atque quod in hoc sensu connexio-*  
 nem

Az

nem



nem cum antecedentibus concernit, eam more suo non  
sine acumine investigat. *D. Johann. Chrysostomus in Ex-*  
*posit. in hunc Psalm. Opusc. Tom. 3. p. m. 350.* Ubi ex Verfi-  
one (quam hic saltem adduxisse sufficiat) *Gentiani*  
*Herueti à Frontone Ducao* emendata hæc leguntur: *Pret-*  
*tiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: Alius ho-*  
*norata coram Domino. Quenam est autem hæc consequen-*  
*tia, & quid habet, quod cum prioribus conveniat, si quis*  
*id accurate examinaverit, maximam inveniet. Quoni-*  
*am enim dixerat: Quid retribuam Domino pro omnibus,*  
*quæ retribuit mihi? Ostendens ejus beneficia, dicit, non so-*  
*lum vitam; sed etiam mortem sanctorum DEO esse curæ.*  
Singulas voces si quis velit examinare ad unam omnes  
maxime ponderosas deprehendet. Siftitur nobis initio  
pretiositas illa maxima קרי Quod ex parte fidelium  
nonnulli Patres explicarunt. Sic namque *D. Cecil.*  
*Cyprian. Epist. 6. ad Sergium Rogarian. & ceteros Confesso-*  
*res p. m. 12.* Nemo mortem cogitet, sed immortalitatem,  
nec temporariam pœnam, sed gloriam sempiternam, cum  
scriptum sit: *Pretiosa est in conspectu Domini mors justo-*  
*rum ejus. D. Hilarius. Exposit. Psalm. 62. p. m. 405.* ha-  
bet sequentia; *Propheta gaudium mansura sibi mortis*  
*ostendit, dicens: Pretiosa in conspectu Domini mors san-*  
*ctorum ejus, quia per eam cum peccati lege resolutis demuta-*  
*tionis gloriose profectu eternitas animæ corporisq. jam sine*  
*peccati corpore rependetur. Quibuscum conveniunt &*  
*illa D. Augustini l. 13. de Civit. Dei. 7. Tom. 9. Opp. p. m.*  
*714.* Hinc est, quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu*  
*Domini mors sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam*  
*mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, &*  
*merita summatim augeantur. Quæ omnia licet in se*  
non



non sint absurda; attamen magis de pretiositatis hujus effectu, quam pretiositate ipsa videntur applicata loqui, Ipsam literam si velimus tenere, tum יקר h. l. non male de pretioso ac caro interpretaremur, æq̄ uti occurrit *Jerem. XXXI, 20.* Qui locus & præsentis haud exiguam videtur præbere lucem. Quam pretiosi & cari namq̄ pii ipsi Deo sunt, tam pretiosa & chara quoque mors ipsorum. Jam vero pii unice propter fidem, per quam in filios sunt adoptati, Deo sunt chari ac pretiosi, quâ nimirum pretiosissimum illum Christi sanguinem *I. Petr. I, 19.* apprehenderunt: ita & nunc mors ipsorum adeo pretiosa, quia in fide moriuntur, in Domino *Apoc. XIV, 13.* Atque inde nunc est, quod hanc mortem Deus magni quoque aestimet, ubi necesse fuerit, vindicet, maximeque curet. יקר & quidem כעיני יהוה in oculis Domini. Hi sunt nimirum illi oculi, qui respiciunt fidem *Jerem. V, 3.* Sic & fidem illam, in quâ moriuntur pii. Sed vero hîc nunc in mediâ propositione magnus reperitur accentus Athnach, cum pro sensu exprimendo aliàs vel minor aliquis locum habere potuisset. Sed rursus non sine meditatione quâdam. Sic namque in media lectione hîc jam quasi subsistere jubet Spiritus S. Et omnino habet meditatio, quod hîc subsistat, pretiositatem hancce animo sæpius sæpiusq̄ volvat atq̄ revolvat, viscera illa misericordiæ obstupefacta contempletur, maxime admiranda cum *Cypriano Epist. 10. ad Martyres & Confessores p. m. 21.* exclamet. O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime quam magnum, quam Dei vultus sacramento, ac devotione militis (Spiritualis) ejus acceptum! sicut scriptum est in *Psalms*, Spiritu S. loquente ad



nos pariter, & monente pretiosa est in conspectu Domini  
 mors justorum ejus: pretiosa mors hæc est, quæ emittit im-  
 mortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accipit coronam de  
 consummatione virtutis. Deinde nunc & subjectum  
 Spiritus S. exhibet, quod nimirum adeo pretiosum  
 in oculis Domini est, atque hoc est המותו לחסירו  
 mors piis ejus (scilicet obtingens) sic enim ellipsin  
 quendam Coccejus, B. Gcierus, aliique interpretes passim  
 concedunt. Quid המותו mors sit, novimus omnes  
 qui quotidie homines morientes videmus. Modo  
 illud notabile, quod in hæc voce geminum ה & in  
 principio & in fine conspiciatur: Quod secundum  
 regulas Grammaticorum significationem vocis auget  
 seu roborat. Nec male in *Versione Gallicâ* redditur,  
 non simpliciter *la mort*, sed: *toute sorte de mort*. Quam  
 versionem & contra Cottonum defendit Petrus Rava-  
 nellus in *Bibliothecâ S. part. 2. p. m. 99.* חסירו vero  
 quod attinet, tum de hæc voce observat Jacobus Gussio-  
 tius in *Commentar. lingu. Ebr. p. m. 274.* plerumque  
 nomina illius formæ, & illa quæ Tzere pro Chireck  
 habent, passiva esse, etsi non omnia, & hoc pacto חסיר  
 חסיר quoque de homine passive potissimum esse expli-  
 candum. Atque omnino sic hinc inde accipi, certissi-  
 mum est, sicque proprie notat *καταεισπόμενον*, ut *Psalms.*  
*XXXII, 9.* qui gratuitâ Dei sui sustentatione misericor-  
 diâ aliisque fruitur beneficiis, non aliter ac fortasse  
 Principis cujusdam Stipendiarius, qui nil tale meritis  
 est apud Principem. At vero & *active* de piis voca-  
 bulum hoc posse explicari non implicat. Sicque  
 nihil obstat, quo minus h. l. conjunctim sumamus de  
 iis, qui postquam gratiam bonaque plurima à Deo gra-



gratis per fidem acceperunt, vicissim grati beneficij sunt & ipsi erga cetera Christi membra, æqve uti & *B. Geierus Prov. II, 8.* interpretatus fuit. Vos & tum cum *B. Frischmutho l. c. p. 9.* *ἰσως, καθαροὺς διανοίας* *puros, claros, selectos, & sinceris animo* vocare poterimus. Atque hi nunc sunt, qui ita moriuntur, ut mors ipsorum pretiosa sit Domino.

Quæ autem generatim hic de piis, eorumque placidissimâ ac pretiosissimâ morte celebrantur, speciatim ea jure meritoque quoque deprædicare possumus de piissimâ illâ piissimeque nunc defuncta Matronâ nostrâ Nobilissimâ omni que virtutum apparatu condecoratissimâ MARGARETHA Schönlöwen/ VIRI quondam Nobilissimi, Amplissimi, ac Prudentissimi DN. CHRISTIANI Knesebecken Senatoris, ac Camerarii primarii in inclytâ hâc nostrâ Rep. Rostochiensis longe meritissimi, nunc b. m. relicta Viduâ, Fœminâ rarissimi omnino exempli. Cujus sinceram pietatem, reliquasque virtutes Christianum fidelem ornantes, & in choro piorum adhuc superstitem perpetuæ memoriæ consecrantes merito nobis & hodie, tanquam exequiali illo die, quo ultimum illud eidem in hâc mortalitate officium præstamus, in perpetuum nobis præluces exemplum collocamus. Ortum tam honestissimæ Vitæ, ex quâ nunc per mortem tam pretiosam DEO abiit, quod concernit, debet illum parentibus generis antiquitate, morum honestate, meritorumque gravitate longe clarissimis ac splendidissimis. Sic namque nata est pie defuncta Nostra Anno MDCXXII. d. 25. Decembr. Patre Viro quondam Præ-Nobilissimo, Consul.



sultissimo & Excellentissimo DN. ALBERTO  
Schönlow / J. U. D. longe celeberrimo, nunc b.  
m. Matre vero feminâ Nobilissima, omniqve virtu-  
tum genere ornatissima MARGARETHA GU-  
SEBEHR, b. m. Avus paternæ lineæ fuit Vir Nobi-  
lissimus, Spectatissimusqve DN. ALBERTUS  
Schönlow / Civis primarius Reip. Paderbornensis,  
p. m. Avia ejusdem paternæ lineæ femina Nobilissi-  
ma ac Virtuosissima ANNA MEIERN, b. m. A-  
vus vero maternæ lineæ erat VIR Nobilissimus, Pru-  
dentissimus ac Amplissimus DN. HENRICUS  
GUSEBEHR, Senator inclytæ hujus Reip. nostræ  
& Camerarius per multos annos longe meritissimus.  
Avia ejusdem maternæ lineæ fuit femina Nobilissi-  
ma celebritate generis & virtutum nitore maxime  
fulgidissima ANNA Nettelbladen. Nec mino-  
rem generi splendorem adjiciunt Proavus maternus  
HENRICUS, Abavus ejusdem lineæ CARSTEN,  
ut & Atavus JACOBUS Nettelbladt / omnes in Se-  
natoriâ dignitate constituti, suisqve in Remp. meritis  
maxime conspicui. Sed nescio felicius ne sit nata,  
an educata pie defuncta nostra? Nam ex quo imbui  
potuit, tantam Parentum experta est industriam &  
adsvetacionem, quanta in prole ornanda potest esse  
maxima. Sic enim nihil eorum quæ ad filiam vel pie-  
tate excolendam, vel elegantibus moribus ornan-  
dam, vel deniqve rei domesticæ gerendæ disciplina  
instruendam faciunt, in se passi sunt desiderari. Nec  
illa impari promptitudine excipiebat, quicquid pia isto-  
rum solertia seu percipiendam seu imitandum, pro-  
ponebat. Placuit ea res admodum valde VIRO tum  
Juveni



Juveni adhuc, sed & mox in magnū Reip. nostræ emolumentum emergenti, Nobilissimo nimirum Prudentissimo, Amplissimo ac Literatissimo DN. HERMANNO Wetten / Reip. nostræ Rostochiensis Senatori multis meritis Fulgidissimo, jam b. m. Utpote qui ex antiquissima illâ & apud Hamburgenses longe celebratissimâ WETKENIORUM familia oriundus erat, quippe Pater JOHANNES Wetten / Senatoria, Avus vero JOHANNES, Proavus HERMANNUS & Abavus JOHANNES, omnes Hamburgi consulari dignitate claruerunt. Huic jam laudato DN. HERMANNO Wetten / per septem annos MARGARETHA nostra, ut Rahel pulcherrima suo Jacobo fuit desponsata, eidemqve tandem absolutis itineribus ad exteros, Anno MDCXLVII. per Sacerdotalem benedictionem solemniter associata. Nec sterile tam exoptatissimum fuit conjugium. Sic namqve pie defuncta nostra in eodem mater facta fuit gratissima m. liberorum, Ex quibus tamen unice adhuc superstes est Nobilissimus, Prudentissimus, Amplissimus, ac eruditissimus DN. JOHANNES GEORGIUS Wetten / Senator hujus inclytæ Reip. Rostochiensis Gravissimus, VIR insigni in utroqve Jure eruditione curiosa Antiquitatum Rostochiensium ac Mecklenburgensium peritiâ, multisq; in reip. patriam meritis apud omnes longe celebratissimus, Fautor ac Amicus noster singulariter colendus, quem Supremum illud Numen per quam plurimos adhuc annos in singulare Urbis nostræ ornamentum ac emolumentum salvum servet atqve in columem. Ceterum autem cum jam laudato charissimo suo Marito pie

B



defuncta nostra per 20. ferme annos adeo ex omni  
voto vixit contenta, ut sæpius solita fuerit asserere, 20.  
illos annos vix. 20. vitas fuisse horas, donec tandem  
mors exoptatum hocce ruperit conjugale vinculum, ut  
pote quæ longe dilectissimum hunc ipsius maritum  
Annò ætatis ejusdem quadragesimo octavo ANN.  
MDCLXVI. die natali, non sine magno dolore à la-  
tere abripuit. Ab hoc tempore per 17. annos ut vi-  
dua honestissima, castissimaque vixit. Quare & ma-  
xime dilecta tuit à Viro Nobilissimo Prudentissimo  
ac Amplissimo DN. CHRISTIANO Kneesebeckem  
Senatore itidem Civitatis nostræ Rostochienfis, ac Ca-  
merario primario maxime merito, tandemque obse-  
nectutem laudabilissimam emerito, jam itidem b. m.  
qui eandem ANN. MDCLXXXIII. conjugali fœ-  
dere sibi junxit. Cum quo altero suo marito rursus  
pie, placide pacifice & optatissime vixit. Et quam-  
vis quidem conjugium hocce fuerit sine prole, pri-  
vignos tamen & privignas quasdam amplexibus  
suis in eodem excepit gratissimis. Ex quibus adhuc  
per Dei gratiam in vivis sunt, quos Deus porro  
diu adhuc sospitet, initio VIR Nobilissimus Pru-  
dentissimus ac Amplissimus DN. HENRICUS  
Kneesebeck / Senator itidem inclytæ Urbis nostræ  
longe Fulgidissimus, de almâ suâ patriâ indies eo  
magis magisque mereri pergens, Fautor ac Amicus  
noster summopere devenerandus. Deinde femina  
Nobilissima omniqve Virtutum Splendore illu-  
stris WENDULA, quæ primum nuptum data tuit  
Viro spectatissimo ac integerrimo DN. PETRO STOL-  
TEN Civi primario & mercatori felicissimo ac flo-  
ren



rentissimo, post cuius vero pia fata nunc matrimonio  
exoptatissimo juncta est VIRO Præ-Nobilissimo, Con-  
sultissimo, Prudentissimo ac Amplissimo DN. JO-  
HANNI JOACHIMO TIELCKEN Jcto  
Consummatissimo ac undiquaque celebratissimo,  
Illustri Reip. nostræ Consuli Gravisimo, Patrono  
nostro magno, magnâ veneratione colendo : Tum  
& Femina Nobilissima lectissimaqve ANNA SO-  
PHIA, quæ Viro Spectatissimo DN. HENRICO HOP-  
PEN, Antistiti ad D. Mariæ & D. Georgii dexter-  
rimo, ac Mercatori optimo vinculo matrimo-  
niali juncta est. Porro Femina itidem Nobilis-  
sima omniqve virtutum muliebrium genere con-  
spicua ANNA MARGARETHA, Conjux lon-  
ge dilectissima VIRI Spectatissimi ac præstan-  
tissimi DN. HANS GOLTERMANN, An-  
tistitis ad D. Jacobi fidelissimi, & Civis de mer-  
caturâ alijsqve officijs Urbis nostræ meritissimi,  
Fautoris ac Amici nostri Optimi. Et deniqve Vir-  
go omni Virtutum, gratiarumqve genere condeco-  
ratissima ANNA CATHARINA: Vos vero  
liberos non secus ac in proprio utero gestatos sine-  
rissimâ fide ac infucato amore suo complexa fuit  
pie defuncta nostra, quæ & vicissim ab iisdem o-  
mnem mutuum filialem amorem, reverentiam ac cu-  
ram fuit experta, eaqve omnia sæpius magno encomio  
ornavit ac deprædicavit. Cum vero & alter hicce  
Maritus prælaudatus DN. CHRISTIANUS Snee-  
sebeck / ANN. MDCCIV. morte placidissimâ ac  
beatâ obdormieret, atqve transactis sic felicissime  
& in hoc exoptatissimo conjugio secundo 21. annis,  
B 2 nunc



nunc & altera vice Vidua fieret moestissima, ab eo tempore defunctam hanc nostram ad se in ædibus suis assumptis supra jam laudatus filius ille ejusdem adhuc superstes unicus ac dilectissimus Nobilissimus ac Prudentissimus DN. JOHANNES GEORGIUS Wetke/ qui una cum dilectissima sua uxore omnem filialem eidem exhibuit amorem ac reverentiam, omnemque quæ modo excogitari potuit, ejusdem curam habuit ad finem usque vitæ. Quæque adeo in his ædibus filij tui non aliter aspici potuit ac arca Domini in domo Obed Edomi. Quare & benedictio Domini ab his liminibus nunquam recedet. Nec minora fuere Gaudia, quæ pie defuncta nostra sensit ex ejusdem hujus sui dilectissimi filii matrimonio longe felicissimo cum Virgine Nobilissima virtutibusque quibusvis exornatissima CATHARINA MARGARETHA, B. WOLHARDI Stinten/ Filia quondam charissima ac mellitissima, & B. DN. CONSULIS olim nostri longe meritissimi ejusdem nominis nepte, inito. Ex quo in senectute sua defuncta nostra tres neptes, nempe MARGARETHAM CATHARINAM, ANNAM SOPHIAM (jam itidem pie denatam) & JOHANNAM SOPHIAM, unumque nepotem HERMANNUM WOLHARDUM non sine insigni mentis tripudio vidit. Reliquum vitæ genus Defunctæ nostræ quod attinet, supervacaneum erit prolixitati in laudando eodem indulgere, cum totanostra Civitas, & vel me tacente jam id sciat, atque encomio nunquam morituro apud seros posteros ornatura sit. Revera enim hic repetere possum, quæ de



de laudatissima illâ *Ruth* deprædicabat *Boas Ruth. III. II.*  
*Novis tota porta populi mei, quod femina egregia tu sis.*  
Imprimis novimus ejus fidem, ejus pietatem, ejus pre-  
ces, ac patientiam. Quod olim *D. Ambros. lib. de vi-*  
*duis Tom. I. opp. p. 193.* de *Hanna Prophetissâ* fuit elocutus,  
quod nimirum *diversorium ejus fuerit in templo, collo-*  
*quium in prece, vita in jejunio,* quæ & ipse *Spiritus S.*  
laudat *Luc. II, 37.* Quæque aliàs & *D. Hieronymus* de  
honestissimis viduis *Paula Blesillâ, Melania, Marcellâ,*  
*D. Augustinus* de viduâ in *Mauritania,* *D. Chrysostomus*  
de vidua *Nebriidii,* aliique de aliis summopere depræ-  
dicant, ea omnia in unica illâ nostrâ, **MARGARE-**  
**THA KNESEBECKIA** ceu in centro quodam con-  
veniebant, utpote de cujus sincera pietate, ardentissimâ  
devotione, intensissimis precibus, in quib<sup>9</sup> cum fortissi-  
mo suo Deo certare noverat, & ipsa nostra templa, pri-  
vatiqve parietes testabuntur. At vero & pii tandem  
mori debent, ut mors adeo pretiosissima ipsis fiat adi-  
tus ad illam adeo perfectiorem vitam. Sic & piissi-  
ma illa Nostra ê mortalis hujus vitæ carcere, ad cœle-  
stia illa gaudia exire debebat. Et quamvis quidem  
instantis placidæ hujus mortis jam prænuncia satis  
esset extrema ferme illa, ad quam per singularem il-  
lam & piis promissam Dei gratiam, provecta fuerat,  
senectus; accedebat nihilominus tamen imbecillitas  
quædam vehementior, de quâ ipsius Medici, quo usa  
fuit, Viri nempe Præ-Nobilissimi, Excellentissimi ac  
Experientissimi **DN. GEORGII DETHARDIN-**  
**GII** Medicinæ Doctoris, & in hâc Almâ Professoris  
Publ Ordinarii longe Celeberrimi, Dn. Collegæ, ac  
Vicini nostri conjunctissimi, ac Fautoris opti-  
mi, verba ita sonantia apponere placet:

*Fuit*



Fuit BEATA, Exemplum Senii Salomonai, cuius in Eccles. cap. 12. fit mentio, & omne viscerum tandem abut robur. Equidem, & quæ voluit FILII ejus unici, ipsi & Patria sua longe dilectissimi sollicitudo, molestiis istis attuli remedia, eventum non semper frustraneo, cum Dolorum artus occupantium ex Emplastro quodam autearthritico, respiratio ex usu bechicorum liberior, de eo testabantur: At quando ex morbo modo memorati FILII, Senatoris hujus Urbis Prudentissimi, (quem eousque valentem DEUS porro sanum reddat & servet!) quo hic admodum detinebatur, animus Defunctæ afficeretur valde, qui semper antea fuerat præsens, & quem tot adversorum myriades haud valuerant destruere, vires corporis magis magisque imminuebantur, & marasmus senilis citatis magis passibus corpus occupabat, ut anima tandem inhabile illud relinquere fuerit coacta. Animadvertens autem Nostra, tempus exoptatæ dissolutionis instare, ante omnia animæ suæ, DEO ut eam commendaret, pro ut pius decet, curam habebat, eumque in finem à Confessionario suo, Viro Maxime Reverendo, Præcellentissimo ac Amplissimo DN. HENRICO BECKERO, Pastore ad Ædem Cathedralem D. Jacob. Vigilantissimo, deque Ecclesiâ nostra longe meritissimo speciali Collega nostro Conjunctissimo ac amicissimo, ut & Fautore honoratissimo, saluber-

rimum



rimūm illud Viaticum corporis ac sanguinis Domini summo cum desiderio expetiit, quod & acceptum Magnā cum devotione excepit. Et præterea quoque efficacissimo illo Verbi divini Pharmaco contra ingruentis mortis horrorem probe præmunita satisque obfirmata, paucos post dies, nimirum d. VIII. Februar. animam suam inter preces adstantium immoto animo, ac singulari cum fiducia, mentisq; serenitate Dulcissimo suo Salvatore tradidit, atq; sic placidissime obdormivit, A. o ætatis suæ 85; currente. Cum vero hâc ratione Pia hæc Nostra Matrona in Domino, verâque constanti fide fuerit mortua, omnino & mors hujus piæ ac justæ in oculis Domini pretiosa fuit. Jam equidem dolore afficiuntur acerbo relictæ. Luget Nobilissimus Prudentissimus ac Amplissimus Filius DN. WETKE, una cum dilectissima suâ uxore, luget matrem perquam charissimam, luget precatricem pro se suisque devotissimam, luget amissam illam, ob quam domui suæ benedixerat hætenus Dominus: Mœret privignus itidem Nobilissimus, Prudentissimus ac Amplissimus DN. KNESEBECKE, mœrent privignæ, ac cognati reliqui omnes. Sed leniat mœrorem mors tam beata, mors Domino tam pretiosa, non amissa nostra, sed præmissa saltem, quæ pia, nunc Beata, & in cœlis eo efficacius pro suis orabit. DEUS vero ille roboris ac solatii omnis gratiâ suâ dolentes omnes erigat quam fortissime, familiasque eorundem splendidissimas servet porro salvas atque incolumes. Nobis vero O Cives Academiæ Omnium Ordinum Honoræ



noratissimi mors pie hujus defunctæ Nostræ & in eo  
fit pretiosa, ut Sacrum ejusdem Exequiale, quod ho-  
die paratur, frequenti promptæque præsentia nostrâ  
ornemus. Facietis hoc ut persuasissimus sum vestra  
pte sponte, dolentem lugentium mœrorem haud  
mediocriter sic levaturi. Inter eundem Votum No-  
strum sit hocce: **MORIATUR ANIMA NO-  
STRA MORTE JUSTORUM, ET SIT FINIS  
NOSTER SICUT ILLIUS** Num. XXIII, 10. Ut  
sic tandem aliquando & mors nostra in oculis  
Domini sit pretiosa,

**P.P. Rostochii Sub Sigillo Academiæ**

ipso Exequiarum die d. XVII. Februar.

ANN. MDCCVII.

**Conventus erit in Æde Marianâ**


Horâ I. pomerid.





















nos pariter, & monente pretiosa est in  
mors justorum ejus: pretiosa mors hæc e  
mortalitatem pretio sui sanguinis, quæ a  
consummatione virtutis. Deinde nu  
Spiritus S. exhibet, quod nimirum  
in oculis Domini est, atque hoc est  
mors piis ejus (scilicet obtingens)  
quandam Coccejus, B. Gciurus, aliique in  
concedunt. Quid מות mors sit,  
qui quotidie homines morientes vi  
illud notabile, quod in hâc voce ger  
principio & in fine conspiciatur: Q  
regulas Grammaticorum signification  
seu roborat. Nec male in *Versione G*  
non simpliciter *la mort*, sed: *toute sorte*  
versionem & contra Cottonum defend  
nellus in *Bibliotheca S. part. 2. p. m. 99.*  
quod attinet, tum de hâc voce observa  
tius in *Commentar. lingv. Ebr. p. m. 2;*  
nomina illius formæ, & illa quæ Tze  
habent, *passiva* esse, etsi non omnia,  
חסיר quoque de homine *passive* potissim  
candum. Atque omnino sic hinc inde  
mum est, sicque proprie notat *מסר*  
XXXII, 9. qui gratuitâ Dei sui sustentati  
diâ aliisque fruitur beneficiis, non a  
Principis cujusdam Stipendiarius, qui r  
est apud Principem. At vero & *acti*  
bulum hoc posse explicari non imp  
nihil obstat, quo minus h. l. conjunctio  
iis, qui postquam gratiam bonaque

Copyright 4/1999 XxyMaster GmbH www.xymaster.com

VerFarbSelector Standard - Euroskala Offset

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z

A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V



gratis per fidem acceperunt, vicissim grati beneficij  
 sunt & ipsi erga cetera Christi membra, æque uti &  
*B. Geierus Prov. II, 8.* interpretatus fuit. Quos & tum  
 cum *B. Frischmutho l. c. p. 9.* *καθαροὺς διγαίους*  
*puros, claros, selectos, & sinceros animo* vocare poterim-  
 mus. Atque hi nunc sunt, qui ita moriuntur, ut mors  
 ipsorum pretiosa sit Domino.

Quæ autem generatim hic de piis, eorumque  
 placidissimâ ac pretiosissimâ morte celebrantur,  
 speciatim ea jure meritoque quoque deprædicare  
 possumus de piissimâ, piissimeque nunc defun-  
 cta Matronâ nosse. *MARGARETHA Schönd-*  
*lowen/ VII* *Amplissimi, ac*  
*Prudentissimi Rnesebecken*  
*Serarii in inclytâ*  
*meritissimi,*  
*omnino*  
*vasq; virtu-*  
*thoro pio-*  
*tae confe-*  
*requevali illo*  
*mortalitate offi-*  
*nobis prælu- cens ex-*  
*am tam honestissimæ Vi-*  
*am tam pretiosam DEO abijt,*  
*illum parentibus generis anti-*  
*onestate, meritorumque gravitate*  
*longe clarissimis ac splendidissimis. Sic namque na-*  
*ta est pie defuncta Nostra Anno MDCXXII d. 25. De-*  
*cembr. Patre Viro quondam Præ-Nobilissimo, Con-*  
*sul.*

